

- 1472** *Melambphilus*, & *Cyparisia* novissime, ut nunc Samos: feris ob solitudinem referta est. Hic classis tam diu fuit, donec equi longa jactatione fessi in herbido reficerentur. Interim milites sociique navales in terra expositi vena-
Attaliam
urbem Mo-
cenicus co-
piss Pontifi-
cis & Fer-
dinandi
ad iutus
expugnat. tioni & epulis indulgent. Classum præfecti cum Veneto imperatore statuunt Attaliam, Pamphiliæ urbem, ab Attalo Rege conditam, subita oppugnatione aggredi. Est ea civitas hoc tempore omnium maritimorum Asiae maxima, portum habens ab utroque latere turribus muni-
 tum, catenaque firmissima clausum. Ægyptii Syriique negotiatores id commune totius provinciæ emporium celebrant. Scalas itaque & crates subito a præfectis navium parari Mocenicus mandat: quibus naviter expeditis, ex Samo, zephyro flante, Attaliam oppugnatum ire pergit: ad Chelidonias insulas delatus, duas auxiliares a Rhodien-
 sis triremes accepit. Erat universæ classis numerus quinque & octoginta: quarum viginti Pontifex miserat, Fer-
 dinandus decem & septem, Rhodiæ duas, sex & quadra-
 ginta Venetorum erant. Ex Chelidoniis classis jam incli-
 nante die profecta, ad tertiam sequentis diei horam hosti-
 um littoribus est appulsa. Hinc Victorem Superantium legatum cum decem navibus ad portum urbis occupan-
 dum Mocenicus mittit: Maripetrum alterum legatum cum navalibus copiis a continenti urbem aversâ parte aggredi jubet: equitibus mandat, ut collem Attaliæ proximum præsidii causa celeri cursu occupent. Jubet ad hæc, omnes propriæ virtutis esse memores: atque interim non ignora-
 re, cum imbelli, &, quod plus esset, imparato hoste sibi tem futuram: eam præterea urbem oppugnari, quæ capta ad unum omnes esset ditatura. Cum his e navibus missi mira omnes alacritate ac spei pleni ad urbem tendunt: ipse cum sociorum legatis pugnæ spectator prætoria navi se continet. Equites irrequito cursu confestim ad collem pervenere. Superanius, navis remis impulsâ, per tela & sa-
 gittas primus omnium, catena abrupta, portum obtinet: secutæ reliquæ triremes, turres circa portum, trucidatis qui intus erant, continuo capiunt. Occupant & suburbana te-
 ða,